

lis medium, subinducit, sed etiam DEI verbum ipsa praxi proponit, quia Pauli Verbum, ipsissimum DEI, vel Spiritus Sancti Verbum, cum primis autem v. II. medium paschalis Mnemosophias luculenter Apostolus exponit, quod sit $\tau\omega\iota\varsigma\ \delta\ \lambda\acute{o}\gamma\omega\varsigma$, fidelis sermo, simulque verbum hoc intermedium illustri commendatione cordibus Christianorum imponit, inquam: *Fidelis sermo; nam si commortui fuerimus, & convivemus;* quibus verbis medium paschalis Mnemosophias genuino, eoque maximo fructu commendare voluit, quod per hunc fidelem sermonem & Christo commori, & Christo convivere possimus. Jam mors Christi gloriosa, vita quoque post mortem gloriosa, cujus participatio Studiosis Mnemosophias paschalis promittitur, dum Paulus in futuro, tempore promissionis, loquitur. DEI vero promissiones, quotquot sunt in ipso, sunt Etiam, & in ipso sunt Amen, DEO in gloriam II. Cor. I. 20. Nec ab ipso nostro Oraculo DEI verbum excluditur, sed totum in verbis DEI consistere, totum esse per DEI verbum suscipere deprehenditur. Si verò rectius ipsum oraculum respicimus, facile deprehendimus, quod & Verbum precepti, & promissi, nostræ paschali Mnemosophiæ tribuatur.

19. Verbum precepti reperitur in Imperativo $\mu\eta\mu\acute{o}\nu\epsilon\upsilon\epsilon$, Memor esto: Preceptum hoc $\mu\eta\mu\acute{o}\nu\epsilon\upsilon\epsilon$ ter in N. T. legitur, h. l. Apoc. II. 5. III. 3. & ex horum locorum collatione non parum institutum nostrum illustratur. Nam aliud $\mu\eta\mu\acute{o}\nu\epsilon\upsilon\epsilon$ dicitur peccati, quod Apoc. II. 5. notatur: *Memor esto, unde excideris, & age penitentiam, & prima fac opera;* aliud $\mu\eta\mu\acute{o}\nu\epsilon\upsilon\epsilon$ est verbi, quod legitur Apoc. III. 3. *In mente ergo habe, vel memor esto, qualiter acceperis, & audieris, & serva, & penitentiam age;* aliud $\mu\eta\mu\acute{o}\nu\epsilon\upsilon\epsilon$ est Christi, quod h. l. traditur. Commendatur hac ratione memoriale ratione subiecti, ut semper recordemur peccati, memoriale ratione medii, ut recordemur verbi, tanquam remedii, memoriale ratione scopi, nim. ut recordemur Christi, tanquam nostri scopi: Paschalis hæc praxis est optima, siquidem per memoriale peccati Diaboli regnum deserimus, per memoriale verbi jus Ecclesiasticæ civitatis acquirimus, & in Ecclesia per verbum sumus ac vivimus Matt. IV. 4. per memoriale

memoriale